INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLI — MDCCCLII.

A DIE XV. OCTOBRIS USQUE AD XV. MARTII

HABENDARUM.



Praemissa est disputatio de Midia Anagyrasio.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(W. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

H. CAROL. BRIEGLEB D.

CUM SENATU.

In magno eorum numero, quibuscum Demosthenem aut publice aut privatim inimicitias suscepisse clarissimae orationes testantur [1]), nemo est, quem ipsae facundissimi hominis criminationes illustriorem reddiderint, quam Midias Anagyrasius, quem quum apud alios illius aetatis scriptores raro tantum et in transcursu memoratum legamus, una Demosthenis oratio, qua alapam ab illo in Dionysiorum celebritate acceptam ultus est, hominem protervum et petulantem adeo nobilitavit, ut nomen ejus fere in proverbii vim abierit [2]). Illud tantum cavendum est, ne quis in nomine passim, ut videtur, apud Athenienses usitato aut tempora aut ceteras notas negligat, quibus Demosthenis adversarius ab aliis hominibus cognominibus distinguatur; quo in genere praeter alios solis pagis tenus notos [3]) imprimis coturnicum ille altor animadvertendus est [4]), quem Socratis et Alcibiadis aequalem quum veteres comici et ipsum acerbissimis conviciis notassent [5]), jam apud antiquos cum nostro turpiter confusum deprehendimus [6]); denique hic ipse filium cognominem habuit, quem circa Ol. CXIV praemium Phocioni rogasse memoriae proditum est [7]); his autem missis quae restant ita in unum coeunt, ut operae pretium nobis facturi esse videamur, ubi redeunte hac scribendi opportunitate totam ejus velut imaginem aliquam oculis vestris, Commilitones, proposuerimus, eademque opera nonnullas quaestiones ad ipsam Demosthenicae orationis interpretationem pertinentes novis curis tractaverimus. Nam quum plurimae hujus

---

1) Cf. Westermann. de litibus, quas Demosthenes oravit ipse, Lips. 1834. 8. — 2) *Μειδίας ὁ ὑβριστής*, Lucian. Jove confut. c. 16; *ἐν ὅσοις δὲ ἀγαθοῖς Καλλίας καὶ Μειδίας καὶ Σαρδανάπαλλος ὑπερτρυφῶντες καὶ τῶν ὑφ' αὑτοῖς καταπτύοντες*, idem Jove trag. c. 48. — 3) *Μειδίας Μυρρινούσιος*, C. Inscr. n. 100, *Γαργήττιος*, Ross Demen von Attika p. 19, *Ὤαθεν*, ibid. p. 86 etc. Is modo, quem ipse Demosth. adv. Conon. §. 10 obiter memorat, Anagyrasius esse possit. — 4) *Μειδίας ὁ ὀρτυγοτρόφος*, Plat. Alcib. I, p. 120 A, cf. Athen. XI, p. 506 D pluraque apud Groen van Prinsterer Platon. prosopogr. p. 198. — 5) Schol. Aristoph. Av. 1297: *διαβάλλεται δὲ εἴς τε πονηρίαν, ὡς Πλάτων ἐν Νίκαις, καὶ κλοπὴν δημοσίων, ὡς Μεταγένης ἐν Ὁμήρῳ, καὶ συκοφαντίαν· κόβαλός τε ἐλέγετο εἶναι καὶ πτωχαλαζών, ὡς Φρύνιχος ἐν Ἐφιάλτῃ*: cf. Bergk. Com. att. reliqu. p. 424. — 6) Schol. Lucian. T. IV, p. 186 ed. Jacobitz. — 7) Cf. Phot. Bibl. c. 266 vel Vitt. X orat. p. 850 de Hyperide: *γραψάμενος δὲ καὶ τὴν Φωκίωνος δωρεάν, ἣν εἶπε Μειδίας Μειδίου Ἀναγυράσιος, ἐπὶ Ξενίου ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ φθίνοντος, ἡττήθη.* Westermannus patrem intelligens rem ad expeditionem Byzantiam Ol. CX. 1 prospere peractam retulit, mox invento hujus patria nomine Boehneckius (Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner, Berl. 1843. 8, p. 333) ad Ol. CXII vel CXIII; nos, qui archontes pseudeponymos nullos agnoscimus, Ol. CXIV praetulimus, cujus primi anni eponymus Hegesias facillime in Xeniam corrumpi potuit.

difficultates in temporibus recte digerendis cernantur, id ipsum haud scimus an commodissime ita efficiatur, ut non, quod plerique solent, a Demosthenis, sed a Midiae persona proficiscamur, cujus certe in tota hac causa primae partes fuerunt; quo in negotio etsi saepissime cum Boeckhio, viro summo, conveniemus, cujus acumine et industria hoc argumentum principaliter illustratum est [8]), tamen et nos in nonnullis rebus ab illo discedere jam ante hoc sexennium in Epicrisi quaestionis de anno Demosthenis natali declaravimus, et alii interim contra eum disputarunt, quibus vicissim occurrendum esse videtur; his igitur omnibus, quaecunque praesens harum quaestionum status exigit, Midiae imagine adumbranda perque singulorum factorum tempora describenda aptissimum fundamentum strui arbitramur.

Et primum quidem de prosapia hominis opportune accidit, ut ex titulis navalibus nuper repertis, quorum plenissimam explicationem ejusdem Boeckhii diligentiae acceptam referimus [9]), et patris nomen compertum habeamus, et rei familiaris magnitudinem, qua omnium maxime elatum superbire identidem Demosthenes criminatur [10]), luculento argumento confirmari videamus. Neque enim dubitari potest, quin *Μειδίας Κηφισοδώρου Ἀναγυράσιος*, quem aliquot ante Ol. CXIII annis *Ἀκτίδος* trierarchum fuisse legimus, idem sit, quem Demosthenes et pago eidem adscriptum [11]) et Thrasylochi fratrem [12]) nominat, quem ipsum Cephisodoro patre natum in iisdem titulis Salaminiae trierarchum ex dimidio deprehendimus [13]); unde secundum illius aetatis leges trierarchicas alterius fratris censum ut minimum decem, alterius quinque talentorum fuisse colligitur [14]). De patre tantum, unde has opes ad filios pervenisse certum est [15]), nihil praeterea constat; quem ne vel equitatus Attici ducem, qui in proelio ad Mantineam occubuit [16]), vel comoediae veteris poetam [17]) habeamus, haud scimus an ipsa Demosthenis oratio prohibeat, quae quum Midiae praefecturam equitum acerbe notet, patris comparationem, si is in eodem magistratu fortiter pugnans obiisset, certe non omisisset; comicum autem poetam si Midias patrem habuisset, aptissimus profecto ejus commemorandi locus is erat, ubi Midiae natales tanguntur, quem orator clandestino partu editum veniisse eique quae vulgo mater haberetur, Cephisodori videlicet uxori, suppositum esse innuit [18]). Quibus autem divitiarum instrumentis Midias valuerit, ex eadem ea certe tenus intelligimus, ut et metalla eum et pascua et vineas habuisse appareat, quo ab expeditione Eu-

---

8) Von den Zeitverhältnissen der Demosthenischen Rede gegen Meidias, in Comm. Acad. Boruss. 1818—1819, p. 60 sqq. — 9) Urkunden über das Seewesen des attischen Staats, Berl. 1840. 8, p. 243. 492. 520. — 10) Mid. §. 20. 66. 96. 98. 100. 109. 112. 123. 138. 152. 159. 183. 201. 211. — 11) Mid. §. 200; adde §. 68, ubi *Ἐρεχθηῒς* ei *φυλή* tribuitur, cujus Anagyrunta *δῆμον* fuisse constat; cf. C. Inscr. n. 217. — 12) Mid. §. 78. — 13) Urkunden p. 240. 491. 517. Eundem Ol. CIV. 4 Nicomacho Atheniensium duce trierarchum invenimus apud Demosth. adv. Polycl. §. 52; cf. Rehdants Iphicr. p. 142. — 14) Boeckh. Staatsh. d. Athener N. E. p. 737. — 15) Mid. §. 157. — 16) Harpocr. p. 171: *ἕτερος δ' ἂν εἴη Κηφισόδωρος ὁ ἵππαρχος, ὃς ἐν Μαντινείᾳ μετὰ Γρύλλου τοῦ Ξενοφῶντος ἀπέθανε*; cf. Krüger. hist. phil. Stud. T. II, p. 282. — 17) Meinek. Hist. crit. comic. graec. p. 267 sqq. Alios, de quibus etiam minus cogitare licet, memorat Kiesling. ad Lycurgi fragm. p. 61. — 18) Mid. §. 149.

boica rediens in navi, quam publice instruendam accepisset, ligna palosque et pecora transportasse traditur [19]); praeterea domus Eleusine ab illo aedificata memoratur, quo uxorem, quando mysteria agerentur, albis bigis Sicyoniis vexerit, tantae altitudinis, ut ceteris omnibus aedibus, quae in eodem loco essent, umbram faceret [20]); neque supellectile eum vasisque pretiosis caruisse, quam Graeci insignem opulentiae splendorisque domestici partem existimabant [21]), ita Demosthenes testatur, ut non in urbe tantum cum tribus quatuorve pedisequis per forum grassantem pocula paterasque palam crepare, sed etiam inter bellicas ipsius sarcinas cymbia, cados, vestesque delicatas a portitoribus deprehensas esse narret [22]). Atque in tali bonorum affluentia fieri non poterat, quin *λειτουργίας* publice subire suisque sumtibus vel triremes vel choros exornare Midias cogeretur, quod et ipsum gloriandi copiam homini vanissimo dedisse Demosthenes exprobrat [23]); quanquam ea aetate quum esset, qua Demosthenes fuit, quum orationem adversus illum scribebat, hoc est duorum et triginta annorum [24]), nondum huic rei operam dedisse — credo quia pater ejus tum etiam vivebat — sed ex illo demum tempore trierarchia fungi coepisse legimus, quum Ol. CV. 4, ut videtur [25]), symmoriae constitutae essent, quarum principes ceterorum sodalium tributis collectis tantidem navem instruendam locarent; neque in choregiis major ejus liberalitas apparet, quem adversarius semel tantum nec sua sponte sed *ἀντιδόσεως* discrimine coactum chorum ornasse criminatur [26]). Nihilo tamen secius haudquaquam obscuro loco in re publica habitum esse ipse Demosthenes agnoscit, qui singulis fere concionibus eum verba facere narrat [27]); idemque licet, si adversario credimus, nec miles unquam neque orator bonus fuisset [28]) adeoque ter deserti exercitus crimine se adstrinxisset [29]), tamen et Paralae navis quaestor et mysteriorum aliorumque sacrorum curator [30]) et equitum praefectus [31]) creatus, postremo etiam inter Pylagoros Delphos missus est [32]) una cum Aeschine Ol. CX. 1, qui quod mortuum etiam sincero desiderio prosequitur, contraria Demosthenis judicia non privatis magis inimicitiis quam diversarum partium studiis deberi indicat. Illud modo concedi par est, meliores in re publica Demosthenis quam Midiae partes habendas esse, neque privati istius belli, quo hic illum persecutus est [33]), potiores causas apparere, quam quod Midias ejusque amici oratorem quamvis admodum etiam tum solitarium atque infirmum [34]), oratoriam tamen

---

19) Mid. §. 167. — 20) Mid. §. 158. — 21) Cf. Wachsmuth. hell. Alterth. II, p. 420 quaeque laudavi in griech. Privatalterth. §. 14, not. 15. — 22) Mid. §. 133. — 23) Mid. §. 153. 203. — 24) Mid. §. 154. — 25) Boeckh Urkunden p. 178; Staatshaush. N. Æ. p. 711 sqq. — 26) Mid. §. 156. — 27) Mid. §. 153. 200. — 28) Mid. §. 148. — 29) Mid. §. 110: *τρεῖς αὐτὸς τάξεις λελοιπώς*, quod crimen ipso facto infamia sequebatur; cf. Staatsalterth. §. 124. — 30) Mid. §. 171: *ὑμεῖς γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐχειροτονήσατε τοῦτον τῆς παράλου ταμίαν, ὄντα τοιοῦτον οἷός ἐστι, καὶ πάλιν ἵππαρχον, ὀχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς ταῖς πομπαῖς οὐ δυνάμενον, καὶ μυστηρίων ἐπιμελητήν, καὶ ἱεροποιόν ποτε καὶ βοώνην*: quibus de magistratibus cf. Staatsalterth. §. 150 sqq. Gottesdienstl. Alterth. §. 11. — 31) Mid. §. 164 sqq. 173 sqq. — 32) Aeschin. adv. Ctesiph. §. 115: *ἐπὶ γὰρ Θεοφράστου ἄρχοντος πυλαγόρους ὑμεῖς εἵλεσθε Μειδίαν τε ἐκεῖνον τὸν Ἀναγυράσιον, ὃν ἐβουλόμην ἂν πολλῶν ἕνεκα ζῆν, καὶ Θρασυκλέα τὸν Λἐκκιον, καὶ τρίτον δὲ μετὰ τούτων ἐμέ.* — 33) Mid. §. 29. 61. — 34) Plut. V. Demosth. c. 12: *δῆλος δ' ἐστὶ τὴν κατὰ Μειδίου*

facultatem data opera ad rei publicae commoda conferentem[35]), gravem sibi adversarium natum esse intelligebant, quem vellet nollet consiliis suis occurrere necesse esset[36]). Scilicet per omnem vitam, quantum ejus persequi licet, ab eis partibus stetisse Midias videtur, quarum dux et princeps Eubulus Anaphlystius exstitit, quem in nostra quoque causa inter advocatos illius conspicimus[37]); qui etsi diligenti pecuniae publicae administratione persequendoque peculatu magnam tunc auctoritatem nactus erat[38]), eodemque exemplo Midiam senatorum negligentiam graviter incusantem deprehendimus[39]), omnino tamen corrupisse plebem et ad ignaviam deliciasque pellexisse traditur[40]), scilicet ut sibi cum paucis impune dominari liceret. Idque ipsum est, quod non Midiae tantum, sed universae ejus factioni identidem Demosthenes exprobrat[41]), quod divitiis suis freti quidvis sibi licere plebemque precibus suis omnia concedere debere arbitrentur; quae tamen superbia quum domi non satis tuta esset, iidem semper curasse videntur, ut inter exteros haberent, quorum potentia opibusque aut metum civibus injicere aut suam ipsorum auctoritatem augusta specie commendare possent; utque posterius in Philippo conciliando et corroborando omnia eorum studia convenerunt[42]), ita nunc Midias publico hospitio cum Plutarcho Eretriae tyranno junctus erat[43]), cui quum Athenienses Hegesilao, Eubuli patruele, duce[44]) Demosthene[45]) frustra dissuadente auxilia misissent, tanta hos perfidia tractavit, ut nisi Phocionis virtus insperatam laborantibus salutem attulisset[46]), illico gravissimas credulitatis poenas daturi fuisse viderentur. Domi autem quomodo se Midias

---

παρασκευασάμενος εἰπεῖν δίκην, δύο μὲν ἐπὶ τοῖς τριάκοντα γεγονὼς ἔτη, μηδέπω δ' ἔχων ἰσχὺν ἐν τῇ πολιτείᾳ μηδὲ δόξαν. — 35) Mid. §. 189: *ῥήτωρ.* — 36) Hinc de Eubulo §. 205: *διὰ τὴν ἰδίαν ἔχθραν, ἣν οὗτος αὐτῷ πρὸς ἐμέ, ἐάν τ' ἐγὼ φῶ ἐάν τε μὴ φῶ, φησὶν εἶναι καὶ βιάζεται οὐκ ὀρθῶς.* — 37) Mid. §. 206; cf. Westerm. de litibus p. 20 sqq. — 38) Cf. Arn. Schaefer. in Schneidewini Philologo T. V, p. 7 sqq. — 39) Demosth. adv. Androt. §. 10: *Μειδίου κατηγοροῦντος τῆς βουλῆς καὶ ἄλλων τινῶν, ἀναπηδῶντες οἱ βουλευταὶ ἐδέοντο μὴ σφᾶς ἀφελέσθαι τὴν δωρεάν.* — 40) Harpocr. p. 130: *ὅτι δὲ δημαγωγὸς ἦν ἐπιφανέστατος, ἐπιμελής τε καὶ φιλόπονος, ἀργύριόν τε συχνὸν πορίζων τοῖς Ἀθηναίοις διένειμε, διὸ καὶ τὴν πόλιν ἐπὶ τῆς τούτου πολιτείας ἀνανδροτάτην καὶ ῥᾳθυμοτάτην συνέβη γενέσθαι:* cf. Justin. VI. 9: *in segnitiam torporemque resoluti non ut olim in classem et exercitus sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effuderunt . . . quibus rebus effectum est, ut inter otia Graecorum sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emergeret.* — 41) Mid. §. 2. 20. 209 sqq. — 42) Ulpian. Schol. Demosth. p. 530: *Εὔβουλος ὁ φίλος εἶναι τοῦ Μακεδόνος νομισθείς:* cf. Boeckh Staatshaush. N. E. p. 317, Boehnecke Forschungen p. 659, Brückner König Philipp p. 118, Freese der Parteikampf der Reichen und der Armen zu Athen, Strals. 1848. 8, p. 80. — 43) Mid. §. 110. 200: *Πλουτάρχου προξενεῖ, τὰ ἀπόρρητα οἶδεν:* quorum arcanorum haud scio an similis indoles fuerit ac *τοῦ θρυλουμένου ἐκείνου ἀπορρήτου* Olynth. II, §. 6, quo Philippi amici diu plebem Atticam ludificabantur. — 44) Cf. Demosth. fals. legat §. 290: *τί δή ποτε, Εὔβουλε, Ἡγησίλεῳ κρινομένῳ, ὃς ἀνεψιός ἐστί σοι, οὐδ' ὑπακοῦσαι καλούμενος ἤθελες:* ubi Ulpianus: *οὗτος εἰς Εὔβοιαν ἐπεστρατήγησεν, ὅτε τῷ Πλουτάρχῳ τὴν βοήθειαν ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι· ἐκρίθη δὲ ὡς συνεξαπατήσας τῷ Πλουτάρχῳ τὸν δῆμον.* Phocion insequenti demum anno imperium suscepisse videtur. — 45) Demosth. de pace §. 5: *ἡνίκ' ἔπειθόν τινες ὑμᾶς, τῶν ἐν Εὐβοίᾳ πραγμάτων ταραττομένων, βοηθεῖν Πλουτάρχῳ καὶ πόλεμον ἄδοξον καὶ δαπανηρὸν ἄρασθαι:* ubi inter suasores ipsum Midiam fuisse probabiliter intpp. conjecerunt. — 46) Plut. V. Phocion. c. 12; cf. Voemel ad Demosth. Philipp. prolegg. p. 77—84 et Winiewski comm. hist. et chronol. in Demosth. de corona, Monast. 1829. 8, p. 162 sqq.

gesserit, etiamsi adversario fides non habenda esse videatur, unum illud facinus ab alio auctore traditum satis probat, quo Diogenem cynicum, nulla sibi injuria cognitum, eadem qua Demosthenem indignitate verberasse contumeliamque mox pecunia oblata redimere voluisse narratur [47]): unde si de reliquis ejus moribus conjecturam facere licet, nihil mirum erit, quod Demosthenes jactat [48]), homines ultro ad accusatorem concucurrisse eique tantam flagitiorum a Midia commissorum copiam suppeditasse, ut indicem eorum apud judices recitandum componere posset. Illis solis, quibuscum idem in re publica sentiebat, hominem non manu magis quam ore promtum et licentiosum [49]) haud ingratum fuisse, et advocatorum testiumque ac fautorum numerus, quo eum confidere Demosthenes criminatur [50]), et ipse causae exitus ostendit [51]), quam orator quamvis sedulo praeparatam tamen potentibus Midiae amicis ita remisisse traditur, ut triginta minarum compensationem acciperet [52]); ipsa denique Aeschinis verba arguunt, quibus hic mortuum collegam etiam tum in vivis esse optat. Hinc autem simul Ol. CXII. 3, quo anno causa Ctesiphontea acta est, Midiam jam e vita decessisse apparet; atqui eundem Ol. CVII, quo tempore Demosthenes contra illum scripsit, quinquagenarium fuisse [53]) liberosque habuisse, quos secum in judicium adducere posset [54]), hic ipse prodit; facilis igitur conjectura est, circiter Ol. XCV vel 400 a. Chr. natum septuaginta fere vitae annos implevisse.

Jam vero universa Midiae vita moribusque expositis ut ad singula, quibus hunc Demosthenes persequitur, crimina transeamus, disputationem per se quidem satis claram vel ab aliis abunde illustratam statim ad temporum ordinem revocabimus, quem solum nonnulla ambigua vel controversa relinquere diximus; quo tamen ipso in genere quum duo certe annorum termini firmi atque extra omnem controversiam positi sint, reliqua

---

47) Diog. L. VI. 42: *ἀλλὰ καὶ Μειδίου κονδυλίσαντος αὐτὸν καὶ εἰπόντος· τρισχίλιαί σοι κεῖνται ἐπὶ τῇ τραπέζῃ, τῇ ἑξῆς πυκτικοὺς λαβὼν ἱμάντας καὶ καταλοήσας αὐτὸν κ. τ. λ.* — 48) Mid. §. 23; cf. §. 3. 19. 38. 129. 137. 159. — 49) Mid. §. 148. 201. 203. — 50) Mid. §. 2. 132. 139. 190. 208. 215. De singulis Timocratem verisimile est eundem esse, contra quem Demosthenes eodem fere tempore orationem scripsit; aegrius cum Boehneckio p. 643 nobis persuademus Polyeuctum, qui Midiae faveat, celebrem illum Sphettium esse, quem posterius eadem in republica sententia cum Demosthene junxit; quanquam Bakio ad Apsin. rhetor. p. 189 nihil hoc impedire videtur; sed quam mire casus in his nominibus ludat, tertium Euctemonis docet, quem nihil certius est quam eum non esse, cujus oratio contra Androtionem habita Demosthenicam quae exstat praecessit. Diotimum et Neoptolemum *πλουσίους καὶ τριηράρχους* prodit etiam Dem. pro Cor. §. 114 et Boeckh. Urk. p. 236. 245; Philippides *λεπτὸς* ille fuisse videtur, quem Hyperides accusavit, cf. Ath. XII. 77, Aelian. V. hist. X. 6. — 51) Plut. V. Demosth. c. 12: *ὁρῶν δ' οὐ φαῦλον οὐδὲ τῆς αὑτοῦ δυνάμεως ἔργον ἄνδρα καὶ πλούτῳ καὶ λόγῳ καὶ φίλοις εὖ πεφραγμένον καθελεῖν, ἐνέδωκε τοῖς ὑπὲρ ἐκείνου δεομένοις.* — 52) Hoc enim quod negat Schaeferus l. c. p. 18, vanae Isidori Pelusiotae declamationi plus ponderis tribuit quam claro Aeschinis testimonio adv. Ctesiph. §. 52, quem etsi callidum rerum gestarum deformatorem, tamen aperte mendacem nunquam deprehendimus. Illud solum cum Plutarcho dicimus: *αἱ δὲ τρισχίλιαι καθ' ἑαυτὰς οὐκ ἄν μοι δοκοῦσι τὴν Δημοσθένους ἀμβλῶναι πικρίαν ἐλπίζοντος καὶ δυναμένου περιγενέσθαι*: accipere tamen pecuniam eo magis Demostheni licuit, quod hac ipsa summa dudum ab eo primum per *ἀντιδόσεως* (§. 80), deinde per *κακηγορίας* (§. 90) occasionem frustratus erat. — 53) Mid. §. 154. — 54) Mid. §. 99. 186. 195.

omnia ita distribuemus, prout aut post Ol. CIV. 1, quo anno Demosthenes actione contra tutores instituta [55]) Midiae quoque petulantiam primo cognovit, aut post Ol. CV. 3 cadant, quo anno per Euboicae expeditionis occasionem [56]) et Demosthenem voluntaria trierarchia et Midiam primo in republica munere fungentem deprehendimus. Ac prioris quidem periodi res duobus verbis comprehendisse sufficiet: paucis enim diebus post tutorum nomina delata instigatus ab his [57]) Thrasylochus Midiae frater, hoc ipso conscio et participe, immo, si Demosthenem audimus [58]), totius facinoris principe et auctore, *ἀντίδοσιν* Demostheni obtulit, jamque quasi bonis huius potitus litem tutoribus remisit, nisi Demosthenes viginti minis trierarchiam sibi oblatam redemisset; eadem vero occasione iidem in ipsis hujus aedibus tam insolenter se gesserunt matremque et sororem virginem tantis verborum probris affecerunt, ut Demosthenes Midiam injuriarum actione peteret [59]); cujus quum Stratoni arbitrium permisissent [60]), Midias contumax ab hoc damnatus miserum arbitrum indigna fraude circumvenit [61]), mulctam denique mille drachmarum nec solvit Demostheni neque *ἐξούλης* actionem ab hoc institutam in judicium venire passus est [62]); quorum tamen singulorum quae tempora fuerint, nunc vel minus quam olim definiri potest, postquam sola ejus rei nota, qua *ἐξούλης* actio in octavum ante nostram orationem annum rejiceretur [63]), cum ipso testimonio, quo continetur, in posterioris originis suspicionem vocata est [64]). Certior res est de expeditione Euboica Ol. CV. 3 facta, quo ipso anno Midiam Paralae navis quaestorem fuisse claris verbis Demosthenes testatur [65]), cumque annum reliqua munera, quibus idem functum esse tradit, deinceps secuta esse ipse enumerationis ordo suadet [66]); quorum etsi alia minoris momenti sunt, equitum tamen praefectura et per se gravior et cum universa orationis chronologia arctius conjuncta est. Nam quum liberata per superiorem expeditionem Euboea mox clandestinis Philippi literis contra Athenienses concitata esset [67]), Plutarchoque Eretriensium prin-

---

55) Demosth. adv. Orator. I, §. 15: *ἔλαχον δὲ τὴν δίκην ἐπὶ Τιμοκράτους.* — 56) Mid. §. 161: cf. pro Cor. §. 99 cum Winiewskio l. c. p. 29 sqq. pluraque apud Boeckh. Staatsh. N. E. p. 710, Böhneck. Forsch. p. 10, Rehdantz Iphicr. p. 199. — 57) Demosth. adv. Aphob. II, §. 17: *καὶ τοῦτ' αὐτοῖς ὑπηρέτησε Θρασύλοχος ὁ Ἀναγυράσιος.* — 58) Mid. §. 79. — 59) Mid. §. 81; cf. Symb. ad doctr. juris Att. de injur. actionibus, Gott. 1847. 4, p. 5. — 60) Mid. §. 83. Stratonem publicum diaetetam fuisse nuper Meierus (die Privatschiedsrichter und die öffentlichen Diaeteten Athens, Halis 1846. 4, p. 23) contra consensum eruditorum contendit, qui adhuc Lysiae c. Pancl. §. 2 et Demosth. c. Everg. §. 12 verbis publicos certarum tribuum certos fuisse crediderant, quod in Stratonem, qui nec Pandionidis cum Demosthene, nec Erechtheidis cum Midia tribulis fuit, non cadit; cf. Prooem. lectt. Marburg. hib. 1833: quod autem *ὑπωμοσίαις* et *παραγραφαῖς* (§. 84) apud privatum locum fuisse negat, hae omnino non ad diaetetam, sed ad archontem deferebantur, nec majore jure *ἀντιλαχεῖν* (§. 86) a privatis arbitriis alienum fuisse censet, quod quum vel contra populi judicia liceret, non videmus quomodo eodem cum *ἐφέσει* loco haberi possit; *ἀνυπεύθυνον* denique quod privatum arbitrum facit, prorsus atrox est; quomodo enim jus suum adipisceretur is, quem ille incognita causa absentem damnasset? — 61) Mid. §. 87. — 62) Mid. §. 81. 91. — 63) Mid. §. 82. — 64) Cf. Westermann. de litis instrumentis, quae exstant in Demosth. orat. in Midiam, Lips. 1844. 4, p. 11. — 65) Mid. §. 174. — 66) Cf. sup. not. 30. — 67) Cf. Demosth. Philipp. I §. 37 cum scholio Augustano: *ὁ Φίλιππος ἐπέστειλεν Εὐβοεῦσι συμβου-*

cipi memorata modo auxilia mitti placuisset, hujus expeditionis, quam a superiore distinguendam esse omnes consentiunt [68]), et Demosthenem et Midiam participes fuisse ex ipsa nostra oratione apparet, ubi Midiam legimus [69]), quum inter equites proficiscendi sortem duxisset, ne loricam quidam unquam induisse, sed clitellis vectum tantas secum sarcinas portasse, ut hoplitae, quorum in numero Demosthenes militabat, reprehensas a portitoribus audirent; id ipsum autem quum faceret, non simplicem equitem, sed praefectum equitum fuisse, quum alii plerique tum Boehneckius [70]) ex iis locis collegerunt, ubi per ejusdem belli occasionem *ὁ ἵππαρχος Μειδίας* et *ὧν ἱππαρχεῖν ἠξίωσε ἱππέων* memorantur [71]); quod si recte illi statuerunt, eo quoque tempore, quo alapam Demostheni in Dionysiis inflixit, hipparchi munere fungebatur. Quamvis enim exercitus, de quo agitur, jam ante prioris anni Anthesteria in Euboeam trajecisse videatur [72]), tum tamen hipparchum Midiam fuisse neque orator memorat, nec *συνιππέων* vocabulum patitur, quos idem illum irrisisse narrat [73]); immo quum horum ipsorum equitum, quibuscum Midias profectus erat, quique apud Arguram stationem habebant [74]), pars Olynthum missa [75]), pars, si recte conjicimus, ad Panathenaea concelebranda patriae reddita esset, inter hos redux factus Midias in concione populi ipsos illos equites tantis probris onerasse totamque expeditionem ignominiosam rei publicae appellasse traditur, ut si aliquae ipsius in ea administranda partes fuissent, non commilitones magis quam se reprehendendum civibus proposuisset. Restat igitur sequens annus, in quem quum Panathenaea incidisse conjecerimus, facilis suspicio esset ea quoque adversarii opprobria, quibus eum ne equitare quidem per forum potuisse nec suo sed conducto equo pompas duxisse criminatur [76]), in hunc annum cadere; accuratius autem re considerata ne huic quidem praefecturam illam concedere, sed si re vera cum magnis Panathenaeis conjuncta erat, quinto, sin minus, uni

---

λεύων, μὴ δεῖν ἐλπίζειν εἰς τὴν Ἀθηναίων συμμαχίαν, οἳ οὐδὲ αὑτοὺς δύνανται σώζειν. — 68) Unus confudit Philostr. V. Sophist. I. 18: *ἐνθυμούμενος τὸ ἐν Ταμύναις ἔργον, ἐν ᾧ Βοιωτοὺς ἐνίκων Ἀθηναῖοι*, quem refellit Boeckhius Abhh. 1818, p. 84. — 69) Mid. §. 133. — 70) Forschungen p. 14: *den 12 Anthesterion wurde Phokion als Feldherr abgeschickt; sein Heer bestand in Reitern, worüber Meidias Hipparch war, und in Hopliten, wobei sich auch Demosthenes befand*; cf. p. 177. 217. 247. — 71) Mid. §. 164. 166. — 72) Tempus anni constat ex Demosth. adv. Boeot. de nomine §. 16: *καὶ γὰρ νῦν, ὅτε εἰς Ταμύνας παρῆλθον οἱ ἄλλοι, ἐνθάδε τοὺς Χόας ἄγων ἀπελείφθη καὶ τοῖς Διονυσίοις καταμείνας ἐχόρευεν, ὡς ἅπαντες ἑωρᾶτε οἱ ἐπιδημοῦντες*: quae tamen Dionysia ne cum Boehneckio eadem, quibus Demosthenes a Midia laesus est, sed proxime superiora habeamus, rerum gestarum moles movet, quam ille intra paucorum mensium fines coagmentare cogitur, nec quae nostrae sententiae jam in Prooem. bib. a. 1845—46, p. 9 propositae objecit Hauptius de societate Chalcidica, Berl. 1847. 8, p. 8, ullo modo rem tangunt, quippe qui contra omnem probabilitatem equites primum solos, deinde tempore interjecto pedites trajecisse statuat. Immo si horum uterque res, de quibus nunc agitur, in Olymp. CVII refert, vel hanc ob causam priora hoc est Ol. CVII. 2 Dionysia praeferre debebat, quia ipsius orationis adv. Boeotum tempus apud Dionys. Hal. de Dinarcho p. 656 inter hunc et proximum annum vacillat; quod autem Phocion tum etiam in Cypro abfuisse videtur (Böhneck. p. 44), praesto est Hegesilaus dux, cui jam superius not. 44 successisse demum Phocionem auspicati sumus. — 73) Mid. §. 134. — 74) Mid. §. 132. 164. — 75) Mid. §. 197. — 76) Mid. §. 171. 174.

certe ex superioribus annis assignare cogimur. Mittimus, quod per totum hunc annum ne militasse quidem inter equites Midiam apparet [77]); qui quum domum, ut diximus, ab Argura remissus id agi intellexisset, ut equites laboranti apud Tamynas exercitui rursus subsidio mitterentur, callidissimo consilio triremem potius ultro instruendam recepit, idem tamen, donec nulla proficiscendi necessitas esset, Athenis mansit, ibique in Dionysiis Demosthenem contumelia affecit, revocatis autem a Phocione equitibus navali militia equestris vacationem invenit, quod vix concoquimus quomodo equitum praefecto publice creato licuerit; sed ut maxime hoc ipsum esse potuerit, quod exprobrandi causas Demostheni daret, non consentaneum est oratorem, ubi revocatos a Phocione equites memorat, de Midia hoc solum dixisse: *ὧν εἷς οὗτος ἦν*, si is eorundem praefectus fuisset; neque leges in praefectura latas, quibus quum equitatum corrupisset, mox ipse pro suis uti noluisse traditur [78]), post altercationem cum Cratino, quam ab Argura redux habuit [79]), sed ante hanc ponendas esse arbitramur, cujus haud scimus an id ipsum caput fuerit, ut quae Midias equitibus exprobraret, in antecedente praefectura sua ipse depravasse argueretur; postremo claris verbis orator adversarium tum, quum se laeserit, *ἰδιώτην* fuisse declarat [80]), quod etsi *χορηγοῖς* maxime opponitur, tamen et hic et alibi multo gravius in illum invehi poterat, si eodem tempore insigni munere publico functum esse nosset. Quamvis igitur ab antiquitatis consuetudine alienum sit, *ἵππαρχον* dici, quam *ἱππαρχηκότα* potius appellari conveniat, nunc tamen oratoriae exaggerationi condonamus eodem exemplo, quo *τριήραρχοι* appellantur non qui nunc maxime eo munere fungantur, sed qui alias trierarchiam gerere soleant [81]); neque ejus loci, ubi Demosthenes ipse praeterito tempore *ἱππαρχηκέναι* eum ait, is color est, ut modo eum magistratum deposuisse videatur [82]); quod si oratio nostra haud ita diu post injuriam acceptam scribi potuit [83]), nec ipsi pugnae Tamynensis anno, quem eundem injuriae fuisse certum est [84]), nec proxime superiori Midiae praefectura conveniet.

Iisdem autem annis quae contra Demosthenem Midias molitus est, etsi dudum Boeckhius accurate et ad persuadendum apte disposuisse videbatur, nuper tamen exstitit Bakius, philologiae Batavae veteranus [85]), qui quum de scriptae orationis aetate Boeckhio adstipularetur, singularum tamen rerum, quae in ea commemorantur, tempora passim distrahere et permutare conatus est. Atque hoc quidem verissime animadvertit, de quo Boeckhium nunc quoque pugnare [86]) impense miramur, verba, unde omnis horum temporum dispositio pendet, *οὐ καθεστηκότος χορηγοῦ τῇ Πανδιονίδι*

---

77) Mid. §. 162 sqq. — 78) Mid. §. 173. — 79) Mid. §. 132, ubi inepte Ulpianus: *στρατηγὸς ἦν οὗτος τοῦ πεζοῦ· τοῦ δὲ Μειδίου κατηγοροῦντος τῶν ἱππέων, ὁ Κρατῖνος, ἅτε καὶ αὐτὸς ἵππαρχος ὤν, ἀντέλεγε καὶ βοηθεῖν αὐτοῖς ἐπειρᾶτο!* Immo si quid hariolari licet, Cratinus priore aliquo anno cum Midia hipparchus fuerat, eoque etiam *τοὺς συνάρχοντας* §. 197 referre licebit. — 80) Mid. §. 61. — 81) Mid. §. 208. — 82) Mid. §. 172 sqq. — 83) Boeckh. Abhh. 1818, p. 71 sqq. — 84) Ibid. p. 82: *der andere, während dessen Meidias den Demosthenes beschimpfte, ist durch das Treffen bei Tamynae ausgezeichnet*; cf. Böhneck. p. 45 sqq. — 85) Scholic. hypomnem. L. B. 1844. 8, p. 153 sqq. — 86) Staatshaush. N. E. p. 608.

φυλῇ τρίτον ἔτος τουτί [87]), non ad illud temporis spatium referenda esse, quo tribus chorego caruisset — id enim *τρίτον ἔτος ἐκεῖνο* potius dicendum erat — sed ipsum annorum intervallum significare, quo choregorum constitutio ab orationis tempore dirimeretur; idemque Boehneckius intellexerat [88]) trium annorum, qui hic describerentur, primo Demosthenem choregiam suscepisse, secundo in choregia administranda Midiae injuriam passum esse, tertio hanc injuriam oratione quam habemus persequi; cui ne hoc objici patiamur, quod Voemelio auctore Boeckhius opposuit, nimium anni spatium inter susceptam et administratam choregiam videri, vel missa athletarum comparatione, quibus decem mensium exercitationem legibus praefinitam fuisse constat [89]), ipso *λειποταξίου* crimine Demostheni intentato deterremur [90]), cujus quum haec sola causa esse potuerit, quod is ad choregiam fungendam exercitum reliquisset, susceptum ab illo munus jam ante expeditionem esse apparet. Hoc autem posito quod jam eo usque Bakius procedit, ut non eas tantum Midiae injurias, quae ad impediendam Demosthenis choregiam victoriamque hujus tribui eripiendam spectabant, sed reliquas etiam, quae ad ipsius caput et honorem pertinebant, inque primis Aristarchei negotii invidiam ante fatalia illa Dionysia rejiciat [91]), tantum abest ut concedere possimus, ut hac ipsa re commodissime bellum a Midia contra Demosthenem gestum dispertiri arbitremur, quod post probolen demum, qua hic ulciscendae alapae causa capitalis judicii periculum adversario intentaverat [92]), hujus ipsius periculi retorquendi gratia internecinum factum sit. Nam quae antecesserant, quamvis atrocia et invidiosa, tamen obtrectationis tantum ac petulantiae indolem habuerant: quod impedire studuerat, quo minus choreutis a Demosthene captis militiae vacatio daretur, quod Dionysiorum curationem ambierat, quod coronas vestesque pictas apud aurificem nocturna irruptione perdere conatus erat, quod chori magistro corrupto affecerat, ut nisi Telephanes tibicen hujus vices recepisset, ne meditatus quidem chorus prodiisset [93]), quod certaminis arbitros [94]), quod archontem ludorum praesidem tentaverat, quod reliquos choregos contra Demosthenem instigaverat, quod victoriam hujus tribui praeripuerat [95]), quibus omnibus Midias id temporis impenderat, quo eum post equitum ex Argura reditum Athenis commoratum esse vidimus; — longe autem alia sequentium calumniarum causa erat, quae, quantum nos quidem intelligimus, non solum post Dionysia et probolen, sed etiam prope illius anni finem ponendae sunt, cujus reliqui menses trierarchiae potius Midiae debentur, quem finita demum Phocionis

---

87) Mid. §. 13; cf. Bakium p. 163 idemque sentientes Westermannum et Voemelium in Zeitschr. f. d. Alterth. 1845, p. 684 et 1846, p. 131. — 88) Forschungen p. 50. 66. 723. — 89) Paus. V. 24. 2. — 90) Mid. §. 103. 105. 110, cf. Boehneck. p. 181: *um die Choregie zu leisten, hatte Demosthenes sich von seinem Posten auf Euboea beurlauben müssen.* — 91) P. 165—179; cf. p. 378: *istud Aristarcheum negotium non post acceptam a Midia in Dionysiis injuriam collocandum esse, quae Boehneckii quoque sententia est, sed aliquo intervallo ante; nam ea anno, quum scribebat Midianam, senator jam fuerat Demosthenes.* — 92) *Δημοσίᾳ ἔκρινε*, Mid. §. 25; cf. §. 175 sqq. disputationemque nostram de probole praemissam Ind. schol. hib. 1847—48. — 93) Mid. §. 15 sqq. — 94) Mid. §. 5. — 95) Mid. §. 17 sqq.

expeditione, quanquam non cum ceteris trierarchis exercitum civium comitantem, sed solitaria navigatione domum rediisse legimus [96]). Unam excipimus *λειποταξίου* accusationem, quam etiam absente Midia Euctemon Lusiensis instituere potuerat, hanc autem Aristarcheum negotium non antecessisse, sed secutum demum esse et ipse ordo, quo res Demosthenes narrat [97]), et illud suadet, quod idem Aristarchus, quem non probabile est post caesum ab ipso Nicodemum diu impune inter cives versatum esse [98]), operam dedisse traditur, ut Demosthenem Midiae reconciliaret [99]); quod nemo facile ad priores illas inimicitias privatas, sed ad ipsum judicii publici periculum referet, quo Midiam Demosthenes persequebatur; — sive maxime hoc ambiguum videatur, illud, quaeso, recogitetis, Commilitones, si haec caedes, cujus ipsum Demosthenem reum facere Midias instituerat, non, ut claris verbis perscriptum legitur [100]), post probolen, sed ante illius choregiam accidisset, nonne necessarium fuerit oratorem vel ubi de iis rebus loquitur, quibus Midiae choregiam suam impedire licuerit [101]), vel ubi hujus inconstantiam in ipsa caedis insimulatione arguit [102]), hoc ante omnia argumento uti, ut Midiam se tanquam capitalis criminis suspectum ab ipsa choregia removere potuisse diceret? Nimirum sanguine pollutum non magis chorum curare quam theoriam ducere par erat; quod si Demosthenes hoc potissimum argumento caedis crimen a se amolitur, ut illum, si vere criminaretur, nec sacra se pro senatu facere, nec sacram legationem Nemea ducere passurum fuisse arguat, nonne omnium primum ita disputare debebat, ut inepte Midiam egisse diceret, qui quum piaculum sibi exprobrare posset, clandestinis potius machinis choregiae obtrectaret? An tanto hoc crimen intervallo a Dionysiorum injuria distare Bakius vult, ut interim vero reo comperto Demosthenes suspicione absolutus sit? Videtur sane, si quidem senatorium hujus munus, cujus in probatione Midias illum hoc nomine calumniatus esse dicitur [103]), tertio ante orationem nostram anno ponit, quo facto Aristarcheum negotium hanc paene quadriennio antecesserit; at ut mittamus ipsum alio loco [104]) Dionysiorum injuriam in eundem annum conjicere, cui et senatorium munus et Nemeicam legationem tribuit, ne convicto quidem Aristarcho *βουλεύσεως* certe calumnia oratorem liberatum esse repetitae adversariorum criminationes ostendunt [105]); senatorem denique Demosthenem

---

96) Mid. §. 167. — 97) Mid. §. 104 sqq. Certior adeo res esset, si ea *λειποταξίου* accusatio, quam Aeschin. fals. legat. §. 148 Nicodemum contra Demosthenem instituisse narrat, cum ea quam sup. not. 90 memoravimus conjuncta fuisset; sed hoc in incerto relinquemus. — 98) *Ἐξ ὧν ἐκεῖνος μὲν φεύγει τὴν πατρίδα*, Aeschin. adv. Timarch. §. 172; cf. fals. legat. §. 166 et Dinarch. adv. Demosth. p. 30 ibique Mätznerum p. 106. — 99) Mid. §. 117. — 100) Mid. §. 105 et 120: *κἂν μὲν ἀφῶ τοῦτον καὶ προδῶ τὴν ὑμετέραν καταχειροτονίαν, οὐδὲν, ὡς ἔοικα, ἀδικῶ· ἂν δ' ἐπεξίω, λέλοιπα τὴν τάξιν, φόνου κοινωνῶ, δεῖ με ἀνηρπάσθαι*, quae quum nimis sibi incommoda Bakius esse sentiat, totum illum locum p. 169 *aliunde perperam huc illatum esse* suspicatur! — 101) Mid. §. 68. — 102) Mid. §. 114 sqq. — 103) Mid. §. 111. — 104) P. 163: *mea ratio si vera sit, rejiciendum videri possit bellum Euboicum ad Tamynas, ipsaque injuria, quam passus est orator, in Ol. CVI. 2;* atqui hunc ipsum *Demostheni senatorium fuisse* ait p. 179. — 105) Aeschin. fals. legat. §. 148: *Νικόδημον τὸν Ἀφιδναῖον, ὃν ὕστερον μετὰ Ἀριστάρχου συναπέκτεινας καὶ οὐ καθαρὸς ὢν τὰς χεῖρας εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλεις*: cf. Dinarch. adv.

proximo potius post injuriam anno, quo ipso oratio scripta est, fuisse luculentis hujus verbis discimus. Quod enim se, antequam sibi pro injuriis acceptis satisfactum esset, hoc munus sortitum esse ait [106]), has injurias antiquiores fuisse declarat, quas ne quis ad mulctam non solutam referat, totus narrationis ordo vetat; hunc igitur, ut decet, simpliciter secuti singularum rerum decursum ita porro informabimus, ut post probolen profectus cum triremi sua Midias primum desertionem Demostheni per Euctemonem objiciendam curaverit, deinde ipse redux et caedis et, quod ut ipse Demosthenes paene obliti essemus, Euboicorum damnorum invidiam [107]) in illum conjecerit, eundem denique his ipsis calumniis a senatorio munere ineundo prohibere frustra conatus sit; hoc ipso autem in munere Demosthenes proximo post injuriam acceptam anno et legationem sacram Nemem duxerit et *ταῖς σεμναῖς θεαῖς ἱεροποιός* creatus sit [108]); quo nihil posterius in oratione nostra memorari arbitramur.

Ipsi autem hi anni qui fuerint, quia ad spinosissimam de ipsius Demosthenis aetate quaestionem pertinent, consulto adhuc non attigimus; nec nunc ita ad hunc locum redire lubet, ut quae ante hoc sexennium fuse de illo disputavimus, recoquamus; qua in causa quum hoc primarium sit, ut Demosthenem, quo tempore orationem contra Midiam scripsit, alterum et trigesimum aetatis annum aut egisse aut modo exegisse teneamus, prout de hujus nativitate statuatur, reliqua quoque tempora ad eam normam disponi necessarium est. Ut tamen nunc quoque ad hanc quaestionem redeamus, duabus maxime causis movemur, altera, quod eodem fere tempore, quo illam disputationem commentabamur, Droysenius, vir clarissimus, idem argumentum peculiari scriptione tractavit [109]), quae etsi ab ea sententia, quam nos de anno Demosthenis natali proposuimus, paucis tantum mensibus differt, Midianae tamen causae tempus longe aliter ac nos illic cum Boehneckio ex Dionysii Halicarnasensis auctoritate fecimus, describit; altera vero, quod Boeckhii sententia, unde nostra integro quadriennio discedit, nuper locupletissimam antiqui auctoris confirmationem nancisci visa est, cujus vos notitia, Commilitones, frustrari certe noluimus; haec igitur duo capita etiam nunc paucis persequi liceat. Et Droysenii quidem discrepantia, qua Boeckhio pariter ac nobis adversatur, in ea potissimum re cernitur, quod Nemea, quo Demosthenem tempore inter Dionysiorum injuriam et orationem scriptam interjecto sacram legationem duxisse vidimus, non aestiva, sed hiberna fuisse censet [110]); quae quum secundo Olympiadis anno tribuat, vel sic apparet inter superioris anni Dionysia, quae vere acta esse constat, et orationem post Nemea demum conscriptam, ut minimum, annuum spatium intercedere, nec quarto

---

Demosth. §. 47 pluraque apud Westermann. de litibus p. 23, Boehneck. p. 182. — 106) Mid. §. 111. — 107) Mid. §. 110; cf. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 85 sqq. cum Bakio p. 175. — 108) Mid. §. 115. Senatorii ordinis fuisse legatos qui Athenis ad ludos mitterentur solemnes, cum Boehneckio p. 48 censet etiam Maetznerus ad Dinarch. p. 139. — 109) Ueber das Geburtsjahr des Demosthenes, in Ritschel. Rh. Mus. T. IV, p. 406—438. — 110) P. 429 sqq.; adde Bakium p. 179 jamque antiquiorem Seebeckium, qui ex suis de Demosthenis aetate calculis et ipse Ol. CVII. 2 senatorem Demosthenem fuisse statuit, Zeitschr. f. d. Alt. 1838, p. 785.

Olympiadis anno, quem quamvis diversa Olympiade et Boeckhius et Boehneckius [111]) tuentur, sed secundo tertiove orationis tempus convenire; sin Nemea, quod multo graviora argumenta commendant, primi cujusque Olympiadis anni vere agi solebant [112]), orationem item in primum aut secundum, Dionysia vel in quartum superioris Olympiadis annum incidere manifestum est. Atqui hoc, si recte superius ejusdem anni initio, cujus sub finem Demosthenes alapam accepit, Panathenaea magna celebrata esse statuimus, vel propter hanc causam ferri nequit; sive id, quod facile concedimus, in conjectura positum est — pompas enim etiam alias annuas fuisse constat [113]) — nimium certe temporis intervallum inter injuriam et orationem intercedit, quod otiosum oratori fuisse haudquaquam veri simile est; denique si jam Ol. CVI. 4 Midiam triremem suam *ἐπέδωκε*, quae hanc *ἐπίδοσιν* ut minimum anno praecesserunt *ἐπιδόσεις εἰς Ὄλυνθον* [114]), omnino intelligi non possunt, quia ne Ol. CVII. 1 quidem [115]) Olynthios quamvis in amicitiam cum Atheniensibus pronos societatem cum his junxisse certum est [116]). Quamvis igitur laetemur virum acutissimum, prorsus diversa a nobis via ingressum, in nativitate Demosthenis, quam extremo anno Ol. XCIX secundo ponit, calculos nostros, qui ad sequentis anni mensem quartum deduxerunt, exiguo temporis discrimine tantum non confirmare, illud tamen, quod inde derivat, ut orationem quoque nostram, quippe altero et trigesimo oratoris anno scriptam, secundo Ol. CVII anno tribuat, amplecti non possumus, sed et cum Boehneckio, qui vetus horoscopium sequitur [117]), natalem mensem Pyanepsionem, et cum Dionysio [118]) quartum Ol. CVII annum, quo oratio scripta sit, retinemus; quo anno etsi ex nostra computatione trigesimum tertium aetatis annum implevit, tamen si ante Pyanepsionem scripsit, etiam tum trigesimum alterum prae se ferre poterat. De ipsa autem Olympiade, si Droysenio ne priorem quidem ejusdem annum concedere potuimus, multo etiam aegrius Boeckhio hoc dabimus, ut quae nos inter singulos septimae et centesimae annos distribuimus, ad eosdem sextae et centesimae annos revocentur, neque Euboica tantum sed etiam Olynthiaca expeditio, quarum principia arcte

111) Forsch. p. 45 sqq. — 112) Cf. Schömann. ad Plut. Agid. p. XXXVIII sqq. nosque Gottesd. Alterth. §. 49, not. 18. — 113) Non illas quidem Panathenaeis minoribus — cf. Müller. Panath. p. 99 — at v. c. Diasiis; cf. Plut. V. Phocion. c. 37. — 114) Mid. §. 161. — 115) Quo anno oratio adv. Aristocratem scripta est, ubi §. 109 de Olynthiis haec legimus: *ὥσθ' ὑμᾶς, οὓς ἴσασιν ἁπάντων ἀνθρώπων ἥδιστ' ἂν καὶ τοὺς ἐκείνου φίλους καὶ αὐτὸν τὸν Φίλιππον ἀποκτείναντας, φίλους πεποίηνται, φασὶ δὲ καὶ συμμαχίαν ποιήσεσθαι.* Adde Philipp. 1 §. 17, ubi eodem anno monentur demum Athenienses, ut contra Philippi incursiones, quas in agros Olynthiorum facere possit, copias parent. — 116) Atheniensium expeditionem contra Olynthios susceptam, de qua Boeckhius olim cogitavit, vix arbitramur cuiquam placere posse; quas autem Droysenius machinas adhibuit, ut jam Ol. CVII. 1 subsidia Olynthiis mitti potuisse ostenderet, et Aristocrateae tempora confundunt, quam in Ol. CVI. 4 removere cogitur (p. 432: *wenn so bereits im Frühling oder Sommer 352 im Gericht zu Athen gesprochen wurde*) et ipsius rationibus parum conveniunt, quae, ut maxime Nemea Ol. CVII. 2 acta sint, Dionysia cum Midiae *ἐπιδόσει* Euboica in Ol. CVII. 1 ideoque Olynthicas *ἐπιδόσεις* in Ol. CVI. 4 rejiciunt, quo tempore ne ipse quidem foedus cum Olynthiis ictum esse statuit. — 117) Forschungen p. 51. — 118) Epist. ad Amm. l. 4, p. 726.

cohaerere luculento alius orationis testimonio constat [119]), in Ol. CVI. 2 ponantur, quo tempore quid Atheniensibus cum Olynthiis rei fuerit, nisi cum Bakio [120]) Olynthum cum Chersoneso confundere libeat, nemo facile aperiet. Vidit hoc etiam Boehneckius, a quo ita tantum discedimus, ut, quod jam superius significavimus, utramque expeditionem non tertio demum Ol. CVII anno, hoc est paucis ante Midiae injuriam mensibus, sed secundo exeunti tribuamus, eoque pacto ipsi earum rerum multitudini, quae injuriam illam antecesserunt, majus spatium aperiamus. Nam quod Apollodori mulctam, qua hunc paullo post illas expeditiones affectum esse eadem oratio docet, post orationem pro Phormione ponit, quae Ol. CVII. 3 scripta esse videtur [121]), contrariam temporum rationem dudum Droysenius probavit [122]); quod autem Olynthiacas Demosthenis orationes, quia Euboeam non memorent Euboicam expeditionem antecedere colligit, haud scimus an plus probet quam ipse velit, quia Olynthiacae ab antiquis quarto demum ejusdem Olymp. anno ponuntur, cui si priorem substituit, circulum in demonstrando committit [123]); nos contra ut orationis adv. Neaeram testimonium ad Ol. CVII. 2 referamus, et illud movet, quod alterae *ἐπιδόσεις* Euboicae, quibus nos cum Boehneckio Ol. CVII. 3 assignamus, non minore temporis intervallo a prioribus *εἰς Ὄλυνθον* quam ab ipsa expeditione *πανδημεὶ* in Euboeam suscepta dirimi possunt, cui sustentandae demum, postquam equitum alii dimissi, alii Olynthum ablegati essent, illas factas esse legimus, et oratio adversus Boeotum de nomine confirmat, quae quum claris verbis expeditionem Tamynensem tanquam nuper admodum factam memoret [124]), Dionysius Halicarnassensis certe non ambigere potuisset, utrum Ol. CVII. 2 an 3 conveniret, nisi initia illius expeditionis jam in priorem annum incidissent. Hoc autem demto de reliquis Midianae temporibus prorsus cum Boehneckio facimus; utque hujus quoque orationis ut illius adversus Boeotum aetatem non antiqua fide Dionysius sed suis ex calculis tradiderit, hos ipsos tamen eum non, ut Boeckhio olim visum est, ad fortuitam Olynthi mentionem, sed ad clarissimam Tamynensis negotii memoriam dirigere consentaneum erat, cujus si in duabus orationibus definiendis idem tempus secutus est, aliquam certe huic fidem deberi arbitramur.

---

119) Adv. Neneram §. 4: *καὶ μελλόντων ὑμῶν στρατεύεσθαι πανδημεὶ εἴς τε Εὔβοιαν καὶ Ὄλυνθον, ἔγραψε ψήφισμα ἐν τῇ βουλῇ Ἀπολλόδωρος βουλεύων καὶ ἐξήνεγκε προβούλευμα εἰς τὸν δῆμον, εἴτε δοκεῖ τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως στρατιωτικὰ εἶναι εἴτε θεωρικὰ κ. τ. λ.* — 120) Hypomn. p. 170 sqq. — 121) Forsch. p. 43; cf. adv. Neaer. §. 5: *γραψάμενος γὰρ παρανόμων τὸ ψήφισμα Στέφανος οὑτοσὶ καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ δικαστήριον . . . εἷλε τὸ ψήφισμα· καὶ ἐπειδὴ περὶ τοῦ τιμήματος ἐλάμβανον τὴν ψῆφον οἱ δικασταί, δεομένων ἡμῶν συγχωρῆσαι οὐκ ἤθελεν, ἀλλὰ πεντεκαίδεκα ταλάντων ἐτιμᾶτο κ. τ. λ.* — 122) In Zeitschrift f. d. Alterth. 1839, p. 928. — 123) Cf. Spengel in Münchn. Gel. Anz. 1845, p. 324. — 124) Cf. sup. not. 72, ubi imprimis verba *καὶ γὰρ νῦν ὅτε* animadvertenda sunt, de quibus quod Droysenius p. 437 ait: *das καὶ νῦν der Rede wird man füglich in einiger Weite verstehen können*, vix probamus; sive maxime anno praeterlapso ita loqui licebat, rursus non apparet, quomodo Dionysius, si jam Ol. CVII. 1 expeditio facta esset, etiam Ol. CVII. 3 archontem adjecerit; cf. Jud. de Dinarcho p. 656: *ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένους λόγος, ἐν ᾧ τούτων μέμνηται, κατὰ Θεσσαλὸν ἢ Ἀπολλόδωρον ἄρχοντα τετέλεσθαι.* Thudemus archon ab eodem p. 665 memoratus nec orationis tempus tangit et cum falsa lectione *Πύλας*, quo refertur, ipse concidit.

At, inquiunt, Hyperides, Demosthenis aequalis studiorumque in re publica diu particeps, in oratione nuper reperta, qua hunc jussu populi in causa Harpalica accusavit [125]), eo quoque nomine veterem amicum impugnat, ut turpe esse dicat, inverso veteris verecundiae ordine hominem plus quam sexagenarium inque ipso senectutis limine constitutum junioribus reprehendendi causas praebere [126]); quae oratio quum Ol. CXIV. 1 habita sit, acute Bergkius [127]) monuit Demosthenem, qui tum jam sexagesimum annum implesset, ut minimum Ol. XCVIII. 4 natum esse eoque calculo orationem, quam altero et trigesimo aetatis anno scripserit, planissime ad Ol. CVI. 4 rejici, cui eam dudum Boeckhius libellum de vitis decem oratorum [128]) secutus assignavit. Audimus sincereque fatemur, hunc nodum implicatiorem videri, quam cui penitus expediendo aut vires nostrae aut subsidia sufficiant; quem etsi ita discindere in promtu sit, ut jam veterem illum librarium *ἑξήκοντα* pro *πεντήκοντα*, solemni seniorum in antiquitate Attica termino [129]), scripsisse suspicemur, tantum tamen abest ut hac medicina uti placeat, ut si quid in illo numero erratum sit, Hyperidis potius exaggerationi tribuamus, qui splendido enthymemati hoc certe indulgere poterat, ut adversario, qui revera octavum vel nonum supra quinquagesimum annum ageret, rotundandi numeri causa unum alterumque adjiceret. Sexagenarium enim obiisse Demosthenem, quod tertio demum post anno Ol. CXIV. 3 accidit, claris verbis Gellius [130]) testatur, neque is certe rotundo numero, sed definito, si quidem hac ipsa re Ciceronem cum Demosthene comparat, quod hic sexaginta, ille sexaginta tres annos vixerit; firmatque hujus auctoritatem Dionysius, quem Midianam Ol. CVII. 4, aliam orationem, cujus hanc tempora proxime antecedant, Ol. CVII. 2 vel 3 collocare legimus; quae quum ita sint, hanc quaestionem positam esse videtis, Commilitones, utrum oratoris aequalis illius quidem, attamen oratoris, hoc est ad exaggerationes et amplificationes proclivis, an posterioris aetatis scriptorum potior fides sit, quos etsi traditione tantum vel conjectura ductos tamen et bonis auctoribus erudite ac

---

125) Fragmenta papyracea invenit A. C. Harris publicavitque Londini 1848, mox apud nos illustrarunt Boeckhius in Eph. Halens. Oct. p. 625 sqq. et Sauppius in Schneidew. Philologo T. III, p. 610—658; nuper etiam splendide sed imperite edidit Churchill Babington: the oration of Hyperides against Demosthenes etc. London 1850. 4. — 126) Verba haec sunt col. XV b et III. a: *καίτοι ἔδει τοὐναντίον ὑφ' ὑμῶν παιδεύεσθαι τοὺς νεωτέρους τῶν ῥητόρων καὶ εἴ τι προπετέστερον ἔπραττον ἐπιτιμᾶσθαι καὶ κολάζεσθαι· νῦν δὲ τοὐναντίον οἱ νέοι τοὺς ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη σωφρονίζουσιν· διόπερ, ὦ ἄνδρες δικασταί, δικαίως ἂν ὀργίζοισθε Δημοσθένει, εἰ καὶ δόξης ἱκανῆς καὶ πλούτου πολλοῦ δι' ὑμᾶς μετέσχηκεν, νῦν δὲ ἐπὶ γήρως οὐδῷ βούλεται κ. τ. λ.* — 127) Zeitschr. f. d. Alterth. 1849, p. 232. — 128) P. 845 D: *ἑπτὰ δὲ καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς λογιζομένοις ἀπὸ Δεξιθέου εἰς Καλλίμαχον* ejusdem tamen quam exigua fides sit, Photius ostendit, quem quum in Bibl. c. 265 ex eodem fonte hausisse manifestum sit, dum Olynthiacas orationes, quae Ol. CVII. 4 habitae sunt, octavo et trigesimo oratoris anno tribuit, Leptineam Ol. CVI. 2 scriptam quarto et vigesimo assignare, ipsi denique sexaginta septem vel septuaginta vitae annos dare legimus! — 129) Aeschin. adv. Timarch. §. 23: *καὶ μετὰ ταῦτα ἐπερωτᾷ ὁ κῆρυξ· τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων;* cf. Schol. Ctesiph. §. 2 legatosque apud Schöll. Mittheil. aus Griechenland I, p. 57 vel Saupp. Inscr. Maced. p. 6. *Ὁ ὑπὲρ τὰ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη* militiae potius vacationem habebat, cf. Harpocr. p. 124, Poll. II. 12. — 130) N. A. XV. 28.

diligenter usos esse nec deformandae veritatis causas habuisse constet; — quarum partium prout hanc vel illam amplectimini, res, quarum ordinem superius exposuimus, quamvis iisdem Olympiadum annis servatis, aut sextae aut septimae supra centesimam Olympiadi attribui par erit. Illud tantum deprecamur, ne quis in Gellio impugnando ea conjectandi temeritate utatur, qua Schaeferus nuper [131]) ita hujus scilicet errorem explicare conatus est, ut eum in conjungendis orationibus Androtionea et Timocratea, quas primas in causis publicis scriptas Ciceronis Roscianae eodem aetatis anno vigesimo septimo habitae opposuit, priorem ad posterioris aetatem rejecisse eoque pacto ad Dionysii calculos accessisse suspicetur, totius autem computationis fontem Caecilii Calactini, Dionysii aequalis et familiaris, *σύγκρισιν Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος* fuisse arguat, cui longe praeferendum sit Hermippi testimonium, quo auctore Suidas duos et sexaginta annos oratorem implesse narret. Quippe in principio ejus loci, qui de Demosthene est, Suidas unius rei testem Hermippum citat, quem eodem jure ipsi Gellio ante oculos fuisse inde colligas, quia Caecilii nunquam meminit, Hermippo autem aliam de Demosthene narrationem claris verbis acceptam refert [132]); eademque Plutarchi causa est, qui Caecilium oratoriam tantum utriusque facultatem comparasse testatur [133]), de vita autem Demosthenis et ipse Hermippum potius consuluit [134]); quem si natales hujus Ol. XCVIII. 4 ponentem invenisset, orationes adversus Timocratem et Aristocratem, quae Ol. CVI. 4 et CVII. 1 scriptae sunt, profecto non in septimum vel octavum et vigesimum oratoris annum rejecisset [135]). Immo vel juniorem, quam par erat, et Plutarchi et Gellii auctor Demosthenem fecerat, qui si vel Ol. XCIX. 4 natus esset, Ol. CVI. 4 octavum, Ol. CVII. 1 nonum supra vigesimum annum egisset, nisi contra quam Schaeferus vult utramque orationem ad Androtioneae potius tempus revocatam esse statuamus, quam biennio ante sive Ol. CVI. 2 habitam esse constat; idque ut etiam nunc praeferamus, utriusque scriptoris consilium efficit, qui quum admodum adolescentem Demosthenem haec scripsisse velint, profecto non integro biennio majorem quam opus erat fecissent; quod si maxime Caecilium auctorem secuti fuerint, hunc ipsum satis, opinor, locupletem [136]) testem lucrabimur, quo oratorem Ol. CVI. 2 septimum et vigesimum demum annum egisse affirmemus. Si qui autem inter antiquos aliam rationem amplexi sunt, haud scimus an nunc ipse hujus fons in Hyperidis exaggeratione repertus sit, quem qui verum numerum prodere existimarent, necessario eo pervenerunt, ut oratorem, quum moreretur, secundum vel tertium et sexagesimum annum implevisse

---

131) Philol. T. V, p. 16. — 132) N. A. III. 13. — 133) V. Demosth. c. 3. — 134) Ibid. c. 5 et 30. — 135) Ibid. c. 15: *τῶν δὲ δημοσίων ὁ μὲν κατ' Ἀνδροτίωνος καὶ Τιμοκράτους καὶ Ἀριστοκράτους ἐγράφησαν οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος· δοκεῖ γὰρ δυεῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονὼς ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους.* — 136) Westermann. de font. hist. Demosth. p. 42: *haud possum tamen in eorum sententiam concedere, qui eum tanquam hominem nulla fide dignum aspernantur, praesertim quum vir in testibus eligendis cautissimus Quinctilianus aliquantum auctoritatis ei tribuat, eaque ipsa, quae ex ejus libris hic illic excerpta reperiuntur, virum prodant sanequam diligentem atque haud imprudentem, id quod ex Antiphonteis facile intelligitur.*

crederent; alii vero, ut videtur, saniores ex Tamynensi bello calculos subduxerunt, quod quum circa Ol. CVII. 2 vel 3 gestum esse nossent, oratorem, qui sub ejus finem alterum et trigesimum annum egisset, Ol. CXIV. 3 sexagenarium mortuum esse collegerunt, eo tantum discrimine, ut, quem sic Ol. XCIX. 3 natum esse sequitur, nonnulli ut Dionysius Halicarnasensis, quum Midianam in Ol. CVII. 4 cadere intellexissent, illius quoque Olymp. quartum annum pro natali acciperent. Midianae tamen tempus hoc discrimine non tangitur, quod ut nunc quoque ad Dionysii auctoritatem dirigere audeamus, etiam hac re movemur, quod quum Demosthenes §. 155 ab Ol. CV. 4 demum trierarchiam praestare Midiam dicat, si oratio cum Boeckhio jam Ol. CVI. 4 ponenda esset, exiguum hoc temporis spatium gravius notaturum fuisse putamus; magis etiam moveremur, si certa nostra suspicio esset, hipparchiam Midiae in magnorum Panathenaeorum annum hoc est quotaecunque Olympiadis tertium incidisse; quam quum post Ol. CV. 3, quo idem Paralae quaestor fuit, cadere necesse sit, ipsi autem injuriae anno, quem itidem tertium Olympiadis fuisse Boeckhius quoque statuit, propter rationes superius allatas tribui non possit, intermediam quandam Olympiadem requisituram esse apparet. Sed haec tanquam corollaria tantum iis adjecimus, quae superiore disputatione amplius exposita sunt; quae quum recentibus inventis aliquatenus infirmata videri potuissent, nostrum esse duximus declarare, quibus illa argumentis etiam nunc defendi speraremus; iidem tamen ut nostra argumenta leviter tractari ab adversariis nolumus, ita nec alienorum pondera a nobis sperni ipsius hujus commentationis ambitu satis manifestasse arbitramur.

P. P. in Acad. Georgia Augusta m. Julio a. MDCCCLI.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

G. CHR. FRIDERICUS LÜCKE, Dr., privatim *Synoptica Evangelia, maxime vero Matthaei*, ex Synopseos evangeliorum b. De Wette ac suis curis confectae editione secunda interpretabitur senis lectionibus hora IX-X.; *Dogmaticam theologiam* docebit ad libri sui *Grundriss d. evang. Dogm.* novam editionem senis lectionibus hora XI-XII. *Societatis theologicae exercitationes exegeticas et dogmaticas* moderari perget consueto more d. Mercurii hora VI-VIII. vesp.

JO. CAR. LUD. GIESELER, Dr., publice *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* enarrabit quinis per hebd. horis h. V.; privatim *partem primam* tradet senis h. VIII., et *Historiam dogmatum* docebit quinis h. IV.

J. G. REICHE, Dr., h. IX-X. sexies per hebd. *Apostoli Pauli epistolas ad Romanos et ad Corinthios* datas interpretabitur; publice h. XI-XII. ter

per hebd. diebus Lunae, Martis et Mercurii *alteram Isagoges in N. T. historico-criticae partem* ad singulos libros pertinentem tradet.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* moderabitur die Sat. h. X-XII.; *Introductionem in theologiam dogmaticam* bis per hebd. dieb. Lunae et Jovis h. III. tradet. Privatim *Theologiam moralem* docebit quinis lectionibus h. X., *Psalmos* et *V. T. cantica selecta* interpretabitur quater h. XI., *Homileticam* et *Liturgicam* quinquies h. II. tradet.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Seminarii regii homiletici exercitationes* moderabitur die Sat. h. X-XII. Privatim *Theologiae practicae partem priorem* tradet i. e. doctrinam de regimine ecclesiastico, de fidei Christianae propagatione, et artis catecheticae praecepta cum exercitationibus practicis conjuncta, quinquies per hebd. h. III-IV. *S. Pauli epistolas*, quae vocantur *pastorales*, praemissa *Theologia pastorali biblica*, interpretabitur dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. IV-V. *Theologiam apologeticam* exponet dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. VIII-IX.

* * *

FRID. GODOFR. RETTIG, Dr. ph., Sup. gen. princ. Gotting., privatim praecepta *Artis catecheticae* duce libello suo quatt. lectt. hora I. tradet; publice *Exercitationes catecheticas* dd. Merc. et Sat. hora I. moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., privatim tradet hora X-XI. *Historiam juris Romani;* hora XI-XII. *Institutiones juris Romani;* hora III-IV. doctrinam *de hereditatibus.*

GUILIELM. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus publicum universale et Germanicum* h. XI-XII., *Jus ecclesiasticum* h. II-III. tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., hora IX-X. et XI-XII. doctrinam *Pandectarum* explicabit.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet *Jus criminale,* sexies per hebd. hora X.; *Jus gentium*, quater p. h. hora II.; *Encyclopaediam juris*, quaternis p. h. horis, h. III.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., h. X-XI. quater per hebd. Collegium *processuale practicum* instituet, h. III-IV. quinis lectionibus *Processus civilis ordinarii theoriam* tradet, h. IV-V. ter per hebd. *Processum summarium et creditorum concursum* tractabit.

AEMIL. HERRMANN, Dr., *Processum criminalem* quaternis lectionibus h. XI. docebit, item quaternis lectt. h. IV. *Jus ecclesiasticum.* De *modo procedendi in causis criminalibus ad Ordinationem processus nuper in regno Hannoverano promulgatam* publice disseret binis scholis h. XI.

HENR. THÖL, Dr., quinquies hora VIII-IX. et IX-X. *Jus Germanicum privatum cum jure feudorum* tradet.